


quàm in bonis ex Avito capiam Testamento: A te verò, qui mihi ad honores Autor & Adjutor maximus fuisti, rectè & sapienter honoribus utendi rationem accipere æquum est; Quantoque propius inspicere virtutes tuas per tot annos mihi licuit, tantò acriùs tuo me exemplo commoveri. Quod si assequi imitando non datur, jurabit cum omnibus Bonis venerari & suspicere in te potius puram in sacris Religionem, singularem in publicis rebus sapientiam & sagacitatem, perpetuam in Justitia retinenda constantiam & prudentiam, inauditam in longo Aulae & Fortunæ usu modestiam & humanitatem; quàm amplissimos honores, florentissimam domum, & absolutam, quanta esse potest in rebus humanis, felicitatem. Gratulor quidem summa hæc tibi merenti obtigisse, gratiam apud Regem sola virtute partam, amorem apud cives bene merendi consuetudine collectum, maximam apud omnes etiam externos auctoritatem: Te denique ipsum semper in publico, in privato, in prosperis, in adversis similem tui: & quando, ut perpetua sint hæc, nec homines sperare, nec Christianum optare fas est; ut tibi quàm diutissimè à Deo Optimo Maximo serventur, nostrâ magis omnium, quàm tuâ causâ precamur. Vale.



LECTORI.

DIU desideratæ, multis ab annis in familiaribus Scriniis reconditæ, Petri Pithœi & Francisci Fratris ad Jus Canonicum Annotationes & Correctiones, faultis Illustrissimi Franciæ Cancellarii auspiciis, è Bibliotheca Viri Amplissimi Regii Ærarii Præfecti & Regni Administri Claudii Peleteri, Petri Pithœi pronepotis, in lucem prodeunt. Nobilitas generis Pithœorum, morum sanctitas, summa sapientia, singularis eruditio, antiquitatis omnis notitia, gloria rerum præclare gestarum, opus Reipublicæ Christianæ utilissimum commendant. In eo sanctissima Fratrum amicitia, justissimæque societas, queis nihil melius hominum generi contingere potest, tanta est, ut vix quid eorum alter præsterit agnosci possit. Ad hoc opus Petrus Pithœus, ex celebrioribus Europæ Bibliothecis vetustissimos codices Synodorum Generalium & Provincialium, quæ in editione Binii desiderabantur, summo studio, impensâ, labore collegerat; daturus, ni prævenissent acerba fata, diligentissimam accuratissimamque omnium Conciliorum editionem. Hæc collectio, paulò amplior Labbeanâ, post obitum Francisci Pithœi anno M. DC. XXI. à Petro Puteano, qui mandato Regis Christianissimi Pithœi monumentorum descriptioni Trevis præfens aderat, fuit Jacobo Sirmondo commodata, qui septem post annos, in tres tomos edidit antiqua Galliæ Concilia, non sine frequenti in suis notis hujus Collectionis & codicis Pithœani commendatione. Hujus verò Operis tanta erat necessitas, ut teste ipso Pithœo, absque eo vix agnosci potuissent Decreta & Capitula in Corpore Juris Canonici conficta, sine autore, falsò adscripta, contraria, corrupta, aliter, quàm sunt in authenticis, detorta, mendosè relata, omissa quæ ad rem, prioribus addita ex posterioribus, addita ex manuscriptis, ex Breviario Aniani, ex Glossa ordinaria quæ Patribus tribuuntur, ex bonis Græcis Latina pessima, Hieronymi tributa Augustino, ex variis diversorum permixta, antiquorum Pontificum variè relata vel tributa, & ad Episcopos Galliæ quæ diversis tribuuntur. Exemplar Romanum secuti sumus correctionibus emendatum: quibus subjungendas duximus Antonii Contii Jurisconsulti notas insigniores; utraq; illustravimus eruditissimis Pithœorum observationibus & lectionibus variis, quas ipsorum antiquissimi Codices, necnon Faucheti, Thuani & Nicolai Fabri suppeditarunt: additis quoque locorum & temporum notis, quarum ope pugnantes in speciem Canones facillè conciliantur: nec enim quod in uno loco constitutum est, ad alia continuò debet pertinere. Nemo leges, legum causâ, salvas esse vult, sed Ecclesiæ; quòd ex legibus omnes Ecclesiam optimè putant administrari: & quamvis ipsæ per se sint sanctæ, mortales tamen & temporibus ipsis mutabiles; quæ in pace latæ sunt, plerumque bellum abrogat, & quæ in bello rursum pax. Prævenerat Petrus Pithœus correctiones Romanorum in recognitione & restitutione Juris Canonici Antonii Contii editionis Antuerpienæ anni 1570. Titulos authenticos Libertatis & Immunitatis Ecclesiæ Gallicanæ in ea accuratissimè observaverat & delineaverat, Jus Pontificium cum legibus Imperatorum contulerat. Post ejus obitum, Franciscus frater Annotationes & Correctiones fratris piissimi & incomparabilis, ut ipse ait, transcripsit propria manu in editione Parisiensi anni 1587. Romanas correctiones à mendis, quæ irrepere, expurgavit, & notis suis variisque lectionibus opus à fratre inceptum perfecit: & perfectum Regio in Præfectura Tricassina Consiliario Antonio Alleno singulari amico, & supremæ voluntatis vindici edendum commisit. Adversa corporis valetudo impedimento fuit Alleno quominus fideicommissum restitueret Literatis, tametsi propria manu totum opus, quod non parùm ad nostram editionem contulit, in mundum redegisset. Intererat Petri Pithœi Posterorum, ne literaria Respublica hoc munere fraudaretur. Iphis ignotum erat Alleno Fideicommissum. In-